GAMELION,
QUO
FOEDUS CONNUBIALE,
INTER
VIRUM
PRÆNOBILEM, SPECTABILEM, DOCTISSIMUM,
ISRAELEM FEIERABENDIUM,
Patritium dignitate conspicuum,
ET
VIRGINEM
HONESTISSIMAM VIRTUTUMQUE LAUDE FULGIDAM,
ANNAM ELISABETAM,
ORTU **JACOBAM,**
Die 25. Sept. A. S. MDCCXXV.
Sacris ceremoniis feliciter consummatum,
Bene ominans
honoratissimis gratulatur Parentibus
NON NEMO.

ELBINGÆ, Typis SAMUELIS PREUSSII.

DUm nuptias, Cari, paratis Filiæ,
hancque datis Juveni, ſic moderante Deo,
Quem flos juventæ, quem bonæque litteræ,
cōmendant merito, quem bonus omnis amat;
Quem ſtirpis ornat claritas, cognatio
ſplendida, quem virtus propria nobilitat:
Vos Civitas hæc prædicat præ ceteris
fauſtos, teſtatur gaudia quisque ſua.
Vicinitas adplaudit his ſolemnibus,
ac votis id opus cedere rite facit.
Votis date locum, candido quæ pectore
manant, imparibus, quæſo, favete metris.
Sint ISRAELIS cum JACOBA proſperæ,
ſint fauſtæ cunctis partibus atque modis:
Quas hic dies fert nuptias, quas conſecrat
divinus Myſtes voce manuque ſua.

Cer-

Certent utrique cum Deo. Victoria
ambobus cedat. Jova coronet opus.
Vincat JACOBAM amore Sponsus ISRAEL:
Sponsa JACOBA suum vincat amore Virum.
Vincant, torum quæ persequuntur, omnia
conjunctis animis, auxiliante Deo.
Aurora lætior sequatur nubila
noctis, quæ cæli lumina grata tegunt:
Ut Numinis persentiant præsentiam,
svaviter experti, quam bonus iste Deus;
Quem litteræ sacræ vocant Deum ISRAEL,
quod bene præ cunctis huic velit, huncque juvet,
Qui vincit omne, quod Deo contrarium est,
atque fidem pactis servat ubique sacris.
Nil est in orbe, quod vices non sustinet:
succedunt lætis tristia, læta malis.
Sed serviunt adversa quæque mentibus
Christicolum, sanctis lux oriturque nova.
Auctumnus ille pristinus quod abstulit,
hoc pensant equidem tempora nulla, scio:
Quo magnus ISRAEL reliquit terrea,
Elbingæ verum præsidium atque decus.
Gemunt adhuc cum civibus Musæ piæ
occiduum Solem: noctis opaca gemunt.
Auctumnus at præsens, licet sit nubilus
tristis & agricolis, gaudia læta tulit:
Quæ exporrigunt frontes, repulsis nubibus
tristitiæ ex animis: hospitis ora nitent.
Dum Sponsa cum Sponso subit certamina,
& palmam dubiam reddit amoris ei.

Quid

Quid ſit laturus proximus, fere ominor:
Progeniem ſimilem Patris Avique feret,
Et gaudium VOBIS & nobiliſſimæ
Socrus ſolamen, ſpem patriæque novam.
Hinc gratulor VOBIS, & invoco Deum,
ut faveat nuptis, auxiliumque ferat.
Divina Trinitas honoret nuptias,
impleat & donis pectora caſta ſuis.
Perfundat æternus Pater rerum omnium,
Sponſorum mentes ſemper amore novo.
Beetque Natus hos ſalute & gratia,
qua ſine mortales triſtia fata premunt.
Det Spiritus Sanctus bonorum copiam,
quæ ſanctum reddant, lætificentque torum.